PAETZ

DE VITA ET FIDE NITHARDI

DC
70
.A2
N6
I.M.S.

DE

VITA ET FIDE NITHARDI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXIV. MAJI MDCCCLXV.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRISTIANUS PAETZ.

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

GEORG STOECKERT, STUD PHIL.
WOLDEMAR DOEHLE, STUD. PHIL.

HALIS.

Amicissimo suo Philippino
Bieling autor Berolini

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA

MAR 15 1951

5714

VIRO ILLUSTRISSIMO HUMANISSIMO

ALEXANDRO DE BUCH

REGII CUBICULI PRAEPOSITO, DECURIONI ETC.

OPTIME DE ME MERITO

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT.

JOHANNES CHRISTIANUS PAETZ.

Nithardi vitam et quae reliquit scripta diligentius, quam usque hodie factum esse scio, pertractaturum difficultates rei subeundae minime me fugiunt. Primum enim, quae de vita ipsa Nithardi certis auctoribus tradita sunt, summa inopiae cancellis circumscribuntur. Quod quantopere dolendum sit haud ignorat qui, quantum cognitio cum scriptoris cujusdam tum rerum gestarum auctoris ad scripta ejus recte dijudicanda afferat, non inficiatur. Deinde memoria annalium sive auctorum Nithardo aequalium in tradendis iis rebus quae inde ab anno 840—843 gestae et a nostro auctore copiosius descriptae sunt, ita tenuis est, ut artem criticam in recensendo Nithardo exercenti parum auxilii afferat. Postremo vero alio scrupulo, quem mihi Nithardi censorum injicit mentio pungor, viresne tironis gravitati rei sufficiant. Quod quidem mirum ei non videbitur, qui quanta sit virorum doctorum de scriptoris nostri auctoritate ac fide dissensio, secum reputaverit. Medio enim aevo oblivione velut sepultus, tandem a Petro Pithoeo in editione scriptoum coaetaneorum anno 1585 in lucem prolatus Nithardus varium judicium expertus est.

Inter antiquissimos, qui Nithardi opus recensuerunt, commemoro Barthium [1]) qui eum: „scriptorem prudentem

---

[1]) Barthius Adversar. Lib. XLVI, 9.

proque iis temporibus egregie disertum" quidem dicit attamen illico addit: „modo odio in Lotharium minus indulgeret suo." Eodem fere tempore Petavius [1]) ille „Syntagma Nithardi scripsit quo et de Angilberto Nithardi patre et de vitae conditionibus Nostri ita egit, ut nihil de opere ipso ejusque auctoritate proferret. Jam copiosius de Nithardi opusculo egit L'histoire litéraire de France (Tome V.) unde haec desumpta refero:

„Il (Nithard) nous a donné à la vérité une partie cu-
„rieuse de notre histoire; mais il n'y fait pour ainsi dire,
„qu'indiquer la plupart des faits, même les plus importants
„au lieu de les développer et détailler avec une juste éten-
„due. D'ailleurs le style de notre historien est souvent
„obscur et embrassé quoi qu'il ait de l'ordre et de l'arran-
„gement dans sa narration:"

Inter recentiores auctores, qui in rebus illius temporis quo Nithardus vixit, describendis eum praeterire noluerunt nec potuerunt sunt Häusser, Funk [2]), Gfrörer [3]), Wenk [4]) etc. Quorum de auctore nostro judicium multum inter se discrepat. Häusser enim in libello suo: „Teutsche Geschichtsschreiber" de Nostro ita judicat: „Lothar ist der Herrschsüchtige; Ludewig schildert er mit sehr schwarzen Farben; sie sind immer die Friedensstörer, Karl der Gerechte, Friedfertige." — Quisnam hisce in verbis acerbissimam studii et mendacii reprehensionem non invenerit? Gfrörer auctori laudem quidem tribuit tamen ita, ut reprehensione intermixtà dubiosa sit, cum dicat: „Als Dienstmann und Höfling Karl's des Kahlen durfte er nicht so freimüthig reden, als dies sonst in seinem Character gelegen zu

---

[1]) Du-Chesne hist. Franc Sc. T. II.
[2]) cf. Funk Ludwig der Fromme.
[3]) Geschichte des Westfränk. Reichs Bd. I.
[4]) das fränkische Reich.

haben scheint; dennoch schmeichelt er nicht, wohl aber sagt er bei Weitem nicht Alles, was er weiss.“ Jam postea ad haec quae specie veritatis Nithardo objecta sunt refutanda redibo. Multo aliter et aequius senserunt Schwarz [1]), Wattenbach [2]), Pertzius [3]), Jasmund [4]), quorum sententiam Nithardum summis laudibus ornantem ne longus sim silentio praetereo. Tanta judicii discrepantia si qua metum certe et studium accuratioris quaestionis excitat. Itaque hilari animo opus aggrediar et primum ad vitam auctoris describendam transeo.

NITHARDI VITA.

Quamvis sperare non liceat fore ut narratione earum rerum quae de Nithardi vita nobis traditae sunt, novi aliquid afferam, tamen, ne quid omisisse mihi videar, summas attingam.

Nithardus ipse notitiâ capiti V. libri IV suae historiae insertâ solus auctor de parentibus ac familiae conditionibus exstitit, cum quae ab Hariulfo, chronista Centulensis coenobii traduntur illuc desumpta facile intelligas. Angilberto patre, matre vero Berta Caroli Magni filia usus est. Pater „ortus eo in tempore haud ignotae familiae“ — haec sunt verba Nithardi l. c. — inter aequales valde eruditus neque artis poëticae expers — quam ob rem ei nomen Homero indi-

---

[1]) der Bruderkrieg der Söhne Ludwig des Frommen pag. 98.

[2]) Deutschlands Geschichtsquellen pag. 115.

[3]) cf. Praefatio ad Nith.

[4]) cf. Prafatio ad Nith. in lib.: Deutsche Geschichtsschreiber der Vorzeit.

DC 70

tum est — summis rei publicae administrandae muneribus apud Carolum Magnum functus est. Quae cum aliunde jam satis explicata sint silentio praeteribo [1]). Majoris mihi momenti esse videtur, de Angilberti cum Berta regis filia conjunctione inquirere. Nithardo ipso et Hariulfo qui Angilberti vitam scripsit, exceptis nemo scriptorum aequalium hujus rei mentionem fecit. Hariulfus [2]) quidem et qui eum secuti sunt, Bertam uxorem legitimam Angilberti fuisse, Carolum Magnum palam matrimonio consensisse tradunt. Sed illi scriptori, quippe qui multum postea vixerit non prorsus fides habenda est. Einhardus vero gravissimae auotoritatis scriptor nihil eorum commemorat, sed speciem illegitimi conjugii filiarum Caroli Magni adumbrat. Legimus enim in Vita Caroli cap. XIX.:

„Quae filiae, cum pulcherrimae essent et ab eo plurimum diligerentur, mirum dictum, quod nullam eorum cuiquam aut suorum aut exterorum nuptam dare voluit sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuit. Ac propter hoc licet alias felix, adversariae fortunae malignitatem expertus est, quod tamen ita dissimulavit ac si de eis nulla unquam alicujus probri suspicio exorta vel fama dispersa fuisset.“

Hisce verbis jam satis apparet, Nithardum non justo conjugio natum esse. Itaque factum est, ut scriptores aequales ne regis animum offenderent, nihil neque de Angilberti Bertaeque conjugio neque de Nithardo nato memoriae proderent.

Annum, quo Nithardus genitus sit, pro certo statuere non possumus; verumtamen ratione verisimilitatis inita prope ad rem accedere possis. Pertzius in praefatione ad Carmen Angilberti (M. II.) dicit: Ex Italia redux Bertae regis ex

---

[1]) cf. Pertz M. Scr. I. Angilberti carmen. Syntagma Nithardi.

[2]) Chronicon Centulense apud: D'Achery Specilegium.

Hildegarde filiae amore devinctus, puellam uxorem duxit.“ Tempus igitur matrimonii adhuc incertum est. Compertum vero habemus, Offam regem Angliae sub annum 887 Bertam filio suo in matrimonium petiisse. Usque igitur ad illud tempus Berta Angilberto nondum nupta nec mater duorum filiorum esse potuit cujus rei fama certe regis petitionem non permisisset. Cum vero Angilbertus jam anno 791 in monasterium Centulense monachum professurus decessisset, tempus quo Nithardus natus sit, inter annos 788—791 statuamus. De ineunte Nithardi aetate vel loco ubi enutritus sit incassum quaesiveris. Aut in monasterio Centulensi, ubi schola liberis nobilium educandis instituta erat, auspiciis paternis aut in aula regia materna cura liberaliter educatus atque iis disciplinis ut tum mos erat institutus est. Quem locum post mortem Caroli avi et Angilberti patris, qui eodem anno defuncti sunt, apud Ludowicum Pium obtinuerit haud scimus. Inter procellas quibus Ludowico regnante respublica agebatur, illaesa fide semper a partibus imperatoris stetisse neque participem conjurationis filiorum contra patrem factae fuisse manifestum est. Ludowico Pio mortuo, rem Caroli Calvi secutus in summo rerum discrimine consilio ac gladio regi praesto erat. Legatione ad Lotharium suscepta (cf. lib. II c. II) summa cum liberalitate et fortitudine blanditiis aeque ac minis Lotharii qui eum corrumpere et Caroli partibus subtrahere vellet restitit. Quam ob rem „honoribus quos pater illi dederat“ a Lothario privatus est. Jussu Caroli Calvi gladium cum stilo mutans (cf. praef. I.) justam Caroli rem omnibus ob oculos ponere, „legenti altercationum veritatem patefacere“ suscepit; pugnae apud Fontanetum commissae fortissime dimicans interfuit; ex numero illorum fuit quibus regni partitio translata erat.

Inde ab anno 843 a rebus publicis gerendis secessit et paene frustra posterioris vitae vestigia indagaveris. Prae-

fatione quarti libri Nithardus dicit, se „mente variis quaerimoniis referta ab universa re publica secessurum esse.“ Utrum id consilium secutus auctore Hariulfo in coenobium Sct. Richardi Centulense sese contulerit ibique mortem contra Normannos pugnans obiverit coaetaneis quidem fontibus demonstrari non potest. Si chronistae illius monasterii, qui exeunte XI saeculo scripsit, fidem habere volumus, Nithardus abbas illius coenobii fuit, tamen non eo ordine quem catalogus abbatium falso indicat, illico post Angilbertum patrem anno 814 mortuum. Est notiuncula margini codicis Hariulfi ab antiquo adscripta quae hoc continet: „Post domnum Ludowicum praefectus (coenobii Centulensis) dicitur domnus Nithardus et quia tum persecutio gravis insistebat paganorum etiam maritimae orae comitatum suscepit. Sed proh dolor annum quo abbas Ludowicus defunctus est non satis certe statui potest nisi inito verisimilitatis calculo propius adrem accedere conamur. Habemus enim diploma Caroli Calvi ad Ludowicum abbatem Centulensis monasterii datum Cal. Octobr. anno VII regnante Carolo i. e. 847. Hariulfus hoc diploma suo libro inseruit et deinde pergit: Post aliquot annorum spatio mortuo Abbate Ludowico Abbatia Centulensis rectorem habuit egregium virum Hrudolfum. Hic illa nota adscripta est, cui si fidem habemus, Nithardus jam circiter 850—51 abbas monasterii Centulensis putandus est. De anno quo Nithardus mortuus est opiniones inter se discrepant. La France littéraire in tabulo chronologica adjecta hanc habet notitiam sub anno 858 „Mort de Nithard cette-année-ci ou la suivante.“ Tamen hic calculus, quem et Häusserus et alii secuti sunt, sine ullo argumento institutus est. Etiam opinionem eorum refuto qui Nithardum jam anno 853 interfectum esse dixerunt. Baluzius ille ex epistola LV et LXXII Lupi, ubi Nithardus quidam commemoratur, conclusit: Nithardum nostrum esse de quo ageretur; auctoritate Marcwardi abbatis Prumensis illectum ibi

complures annos vixisse et deinde Centulum reversum abbatem circo annum 853 mortuum esse. Quam opinionem jam satis a Mabillonio refutatam silentio praetereo. Diplomate vero ad Hrudolfum successorem Nithardi directo et II Cal. Mart. indict. III anni XVI regni Caroli i. e. 856 dato intelligimus, Hrudolfum hoc tempore jam abbatem Centulensis monasterii fuisse itaque Nithardum jam ante 856 diem supremum obiisse.

Chronista porro tradit: Cum abbas Gervinus sepulcrum Angilberti quaereret „nec illius quidem corpus ibi inveniret sed in eodem quo quondam pausaverat sarcofago invenit lecticam coriatam domni Nithardi filii ejus abbatis et comitis corpus continentem sale perfusum. In cujus capite videbatur illa percussura qua eventu proelii fuit occisus.“ —

Haec sunt omnia quae de Nithardi vita eaque incerta tradita sunt. Mirum sane est, quod annalistae et rerum scriptores coaetanei non semel quidem illius viri mentionem faciunt, qui inter aequales et magnitudine animi et nobilitate generis insignis erat. Cujus rei causas praeter quod jam commemoravi, si quaerimus non possumus, quin Nithardum inde ab anno 843 non eadem familiaritate et amicitia Caroli Calvi ut antea usum esse putemus sive quod ratione rei publicae administrandae non contentus esset sive quod libro suo sine partium studio scripto invidiam regis et factionis aulariae contraxerit. Quatuor historiae praefationes hac in re gravissima sunt argumenta. Cum enim in prima et secunda praefatione Carolum jucundissime alloquatur jam in tertia dolorem de rerum calamitate prodit, de Carolo nihil neque in hac neque in quarta praefatione dicit. Quarta praefatione jam satis apparet, Nithardum eodem tempore (843) „validis procellis moerentem“ consilium iniisse, „ab universa re publica secedere.“ Ex verbis: „si in ceteris rebus futuris prodesse nequivero“ concludi potest, Nithardum jam eodem tempore consilio minus apud regem valuisse atqne

aulariae factioni exosum nihil de sua in regem habenda auctoritate speravisse. Quod si addimus quae sexto capite libri IV de Adelardo comite atque de regis cum nepte Adelardi matrimonio inito dicit, non dubitari potest, quin, aula regis aut sua sponte aut regis jussu relicta, ultimam opusculi partem in monasterii solitudine confecerit.

Fuit Pertzius, qui, nescio qua de re, titulum opusculi Nithardiani mutans ei nomen: Nithardi historiarum libri IV inscripsit. Pithoeus enim qui primum Nithardum edidit, opus, etiamsi in libro scripto nulla haberetur et libri et autoris inscriptio, „historiam de discordia seu dissensionibus filiorum Ludowici Pii nominavit [1]) Hunc operi Nithardi titulum fuisse planum erit ab auctore incogniti nominis qui anno 1214 tribus libris Francorum historiam latine scripsit, cujus in praefatione legitur: Sumpta haecsunt . . . . . ex libro etiam Nithardi qui de discordia filiorum Ludowici agit.“

Eadem sors quae vitam Nithardi caligine paene impenetrabili nobis obscuravit operi ipsi, medio qnidem aevo contigit: prorsus enim neglectum et oblivione sepultum erat. Hariulfus, chronista Centulensis haud dubie opusculo Nithardi cum de origine ejus ageret usus est sed — mirum auditu — ita ut auctorem libri ignorans haec scriberet: „Nam cum aliquando quidem libellus in manus nostrorum devenisset post quaedam alia de S. Angilberto haec inibi scripta notaverunt.“ Deinde verba Nithardo de sua origine desumpta sequuntur. Praeter Hariulfum tantum in Translatione Liawini locus invenitur qui originali textui tam sisimilis est ut Nithardo desumptus habendus sit. Erat igitur Nostri opusculum paucis notum et non ita multis exemplaribus exstitit. Itaque factum est ut tantum uno codice editio curari posset. Cujus oblivionis causam et in fato adverso

---

[1]) cf. Petavii Syntagma Nithardi.

et in mala Caroli Calvi gratia qui operi vulgando minime curavit invenire possis. —

Tempus quo Nithardus libros singulos scripsit satis certis terminis circumscribi potest [1]). Praefatione enim libri I. adhibita legimus: „Cum ut optime mi Domine nostris jam paene annis duobus [2]) illatam a fratre vestro . . . . . ante quam Cadhellonicam introissemus civitatem praecepistis etc.: — Nono autem libri II capite patet: Carolum medio mense Majo anni 841 in urbe Cadhellonica aliquot dies consedisse postquam Lotharium frustra Attiniaci die constituto conventus (die 8. Maj.) expectavit. Id tempus, cum secundum librum jam mense Novembr. confectum esse legimus, verbis auctoris optime congruit itaque initium operis medio mense Majo anni 841 factum esse manifestum est. Summum caput libri secundi XVII die Octobr. ejusdem anni in vicinitate S. Fludualdi scripsit, cf. cap. X. l. II.

Tertium vero et quartum librum anno 843 confecit quod capite VII l. IV intelligitur: „Nam temporibus bonae recordationis Magni Caroli qui evoluto jam paene anno XXX decessit.“

Quatuor Nithardi libri ratione rerum traditarum habita ex duabus partibus constant, quarum altera libro primo,

---

[1]) Valde erravit Scholle — dissertatio de certamine fratrum“ pag. 50. an. 80 — cum loco citato dicat: Huc accedit quod Cadhellanensis urbs, cujus Nithardus in praefatione I mentionem fecit, temporis ratione verisimiliter eadem est quae in nostro loco (sic Nithard c. IV, 3.) Fugit eum quod Nithardus lib. II, c. 10 sub finem scripsit: Dum haec — scriberem, ecclipsis solis contigit.“ Id vero jam die 18. Oct. 841 accidit; quo tempore cum auctor jam secundum librum paene confecisset fieri non potuit quin 842, ut Scholle opinatur, jussum operis scribendi a Carolo qui Cadhellone moraretur acceperit. In eundem errorem Leibnitz (cf. annales imperii sub ann. 842 pag. 501) adductus est.)

[2]) Hoc, ut jam in editione Nithardi a Pertzio annotatum est, intelligendum est: secundo belli anno.

altera tribus reliquis continetur. Primo enim libro res gestae inde ab Carolo Magno mortuo usque ad decessum Ludowici Pii anno 840 narrantur; secundo, tertio, quarto de certamine filiorum usque ad eas res quae foedus Viridunense praecedunt agitur.

Sed antequam Nithardi libros ad critices normam exagam, quam rationem initurus sim paucis exponam. Unicuique libros Nostri diligentius legenti jam satis liquet, Nithardum haberi non posse inter illos medii aevi scriptores qui fere omnia ab aliis mutuati de suo vel nihil vel pauca addiderunt. Est potius auctor et liber et ingenuus et quod maximi momenti est primus rerum scriptor non ex grege clericorum sed laïcus qui statum rerum aliis oculis perlustrat quam qui angustis coenobii cellulis inclusi de rebus publicis bene recteque judicare non facile poterant. Ex aliis nihil descripsit (cf. infra) sed quae ipse viderat aut audierat et quorum ipse magna pars fuerat suo stilo prosecutus est. Itaque alia critices norma in tali scriptore adhibenda erit quam in iis qui aliorum auxilio nisi sunt. In his enim fontes e quibus hauserint et transscripserint quaerendi sunt: in illo vero comparatis iis quae tradidit cum rebus ipsis ut certissimis auctoribus constant examinandi lex nascitur.

Tria omnino sunt genera rerum a Nithardo traditarum. Primum enim talia refert quorum quamvis in parte non fuerit optimam tamen cognitionem et vitae conditionibus et familiae vinculo habebat. Deinde quorum ipse et particeps et testis oculatus fuit. Denique vero quorum famam, quippe quae in remotis imperii regionibus acciderint fando auditam habebat. Ad primum genus omnia fere pertinent, quae primo libro continentur exceptis forte illis quae de conventu Wormatiae 839 habito cui, ut persuasum mihi habeo, Nithardus ipse adfuit, capite VII libri I commemorantur. Ad secundum expeditiones Lothardi in Carolum factae, actiones, pacta mutua; ad tertium denique Ludowici contra Lotharium res

eo tempore gestas quo cum Carolo nondum conjunctus vel absens erat, Saxonum insurrectionem Nortmannorum incursiones. Cum annales in describendis rebus annorum 840—43 summa inopia laborent dum optimam imperii Ludowici Pii cognitionem, copia aliorum fontium suppeditante habemus, gravissima quaestionis pars in primum librum cadat necesse est. Ubi si Nostrum neque sincerum nec probum invenerimus vix est quod sequenti parti magnum pretium attribuamus; sin vero locupletem testem fideque dignum, non est quin rebus in reliquis libris traditis quas minus strictim critices ratione persequi possumus potius fidem habeamus. In recensendis enim libris II, III, IV maxime inopia aliorum fontium quibuscum Nithardus comparandus esset impedimento est. Sunt tantum duo fontes, Annales Bertiniani et Fuldenses, qui paulo copiosius de fratrum certamine agunt, sed fides eorum non omnibus modis sincera dici potest. Bertiniani enim qui dicuntur, a partibus Caroli Calvi stantes jussu ejus scripti esse videntur. Quos si cum Nithardi ratione narrandi comparaveris hunc non ita multum abhorrentem sed res placido animo tractantem intelliges quod jam multum ad fidem ejus probabiliorem faciendam valet. Ac si Bertinianis acerbitatem in Lotharium manifestam detraxeris, res traditas mirabili quodam modo inter se congruas invenies.

Fuldenses usque ad pugnam apud Fontanetum commissam Lotharii partibus favent quod potissimum eo cernere potes quod Lotharii conatus ad totum imperium recuperandum factos legitimos, fratrum vero defensionem verbis „contra Lotharium insurgere parant“ significant. Post pugnam Fontaneticam quam omnes fere ejus aetatis scriptores, aeque ac Noster, tanquam judicium Dei contemplantur mira quaedam animorum mutatio facta est. Et Fuldenses tunc quaeque a Lothario facta minus probantes sine partium discrimine res tradunt.

Reliqui annales sive scriptores notitias quasdam quibus uti non negligamus suppeditant, sed re in universum considerata non multum ad nostrum periculum levandum valent.

In recensendis iis, quae cum praeter in Nithardo nusquam aliunde inveniantur comparationem instituere non sinunt alia ratione utendum est. Hîc summa examinandi lex verisimilitas quae rebus ipsis inest, nascitur. Ad ea primum varias fratrum expeditiones itineraque de quibus quod difficiles simus non habemus. Majoris vero momenti ea habenda sunt quae de moribus Lotharii ab auctore traduntur. Quae ubi alis fontibus probari non licet, necesse est quae antea in Lothario certis auctoribus cognovimus cum iis conferamus quae postea fecisse dicitur, ac ratione, ut ita dicam, psychologice inita utrum Nithardus recte narraverit nec ne judicemus. Sed de his hucusque!

Liber I.

Pertzius — cf. praef. in Nith. — censuit, Nithardum in primo libro componendo auctorem anonymum Vitae Ludowici Pii secutum esse. Cui opinioni quominus assentiar multa impediunt. Sane quidem sunt quaedam historiae Nithardianae similitudines cum Anonymo, qui dicitur, sed utrum Nithardus ab Anonymo an Anonymus a Nithardo mutuatus sit nondum argumentis satis demonstratum est. Videamus igitur cujusmodi sint similitudines. Comparatione diligenter instituta facile est intellectu utrumque suam viam ingressum varia scribendi ratione usum esse. In priore eaque majore Anonymi parte nulla cum Nithardo similitudo intercedit; sed inde a capite 60, manifesta est, ubi de iis quae Wormatiae agebantur in eandem fere ac Nithardus sententiam agit.

Deinde capite 62 et 64: fere iisdem ac Noster verbis utitur, quae, ut sub oculos cadant, hoc loco conferam.

Anonymus c. 62.

Nuntius illi advenit dicens, Hludowicum filium suum assumptis quibusdam Saxonibus atque Turingis secum Alemanniam invasisse. Hreno transmeato Toringiam continuato itinere petivit ubi Hludowicum morari tunc temporis didicit. In qua cum eum conscientia, morari non pateretur utpote jam patre propinquante, rebus diffideret salutem in fugae subsidio posuit; redempto enim itinere per Sclavorum terram in propria rediit. Quo illo redeunte, imperator generalem conventum in urbe Vangionum, congregari praecepit. Et quia res Hludowici taliter se habebat, Carolus autem filius ejus de cum matre in Aquitania versabatur, imperator ad filium suum Hlotharium in Italiam misit, jubens ut eidem placito interesset quatinus cum eo de hac re et de aliis deliberaret.

C. 64. Decessit autem (Ludowicus Pius) XII Cal. Jul. anno vitae suae sexagesimo quarto: Et Aquitaniae quidem praefuit per annos triginta septem, imperator autem viginti septem. Animo porro recedente Drogo frater imperatoris et episcopus Mettensis cum aliis episcopis abbatibus comitibus vassis dominicis plurima-

Nithardus c. 8. l. I.

Per idem tempus Lodhuwicus a Baivaria solito more egressus, Alamanniam invasit cum quibusdam Toringis et Saxonibus sollicitatis — uno eodemque itinere Toringam petiit. A qua Lodhuwico filio ejus pulso per Sclavos itinere redempto eum in Baivariam fugere compulit. Quo peracto Kal. Jul. ad Vangionum urbem conventum indixit, ad quod Lotharium filium suum ab Italia venire praecepit cum eo ceterisque sibi credulis de Lodhuwico deliberaturus. Cumque se haec ita haberent, Lodharius in Italia, Lodhuwicus trans Renum et Karolus in Aquitania essent: Lodhuwicus imperator in insula quadam juxta Mogonciacum 12 Kal. Jul. obiit. — Vixit per annos septem et triginta rexit Aquitaniam per annos septem et triginta imperiale vero nomen per annos septem et viginti et per menses sex obtinuit. — Quem Drogo frater et episcopus atque archicapellanus ejus Mettis civi-

Anonymus.	Nithardus.
que frequentia tam cleri quam populi sumptis imperatoris reliquiis cum magno honore Mettis transportari fecit et in basilica St. Arnulfi, quo et mater ejus condita erat, nobiliter sepilivit" —	tate sua apud St. Arnulfum una cum episcopis abbatibus comitibusque congruo honore sepulturae tradidit."

Quibus collatis jam satis liquet alter ab altero mutuatum esse. Sed dissentiens cum Pertzii opinione contendo, Anonymum iu locis citatis a Nithardo descripsisse. Primum enim ut Pertzio assentiar deest argumentum, Anonymum jam eodem tempore opus suum confecisse quo Nithardus scribere incepit. Pertzius ipse opinioni suae repugnans dicit: (cf. praef. in Anonym.) „Post annum 826 ipsum (Anonymum) operis sui ducem et auspicem sed in temporum ratione paulo negligentiorum agnoscimus unde et opus non inter ipsa regni et aulae negotia sed imperatore demum defuncto scribi inceptum intelligamus." Unde jam manifestum fit, Nithardum cum medio fere anno 841 primum librum jam confecisset (cf. lib. II, c. 10. sub fin.) Anonymo uti non potuisse. Deinde vero si quae ab Anonymo de placito Wormatiae anno 839 habito referuntur, cum narratione Nithardi, c. 7. comparaveris non difficile est intellectu, ex verbis Nithardi facile relationem Anonymi, minime vero ex verbis Anonymi relationem Nithardi confici potuisse. Alter rem simpliciter refert, alter sic exponit quasi agatur non quasi narretur. Denique omnis dubitatio eo tollitur quod Anonymus in statuenda Ludowici aetate Nithardi relatione congruit cum, quae initio suae Vitae de anno quo Ludowicus genitus sit, refert, prorsus diversa sint. Quem in errorem non adduci poterat nisi, superioris de aetate Ludowici notitiae oblitus, Nithardnm secutus esset.

Paucis primi libri praefationem attingam. Nithardus incipit: Cum ut optime mi Domine nostis jam pene annis

duobus illatam a fratre vestro persecutionem vos vestrique haud quaquam merito pateremini antequam Cadhellonicam introissimus civitatem praecepistis, ut res vestris temporibus gestas stili officio memoriae traderem.“ Quae jussus regii commemoratio in sinceritate auctoris cognoscenda magni momenti mihi esse videtur.

Primum enim si id egisset, ut falsa vera tradendo falsis criminationibus Lotharium consulto insimularet atque rerum veritatem in Caroli regis gratiam depravaret, certe regii jussus mentionem non fecisset ne illico in omnium sibi aequalium qui sua legerent suspicionem veniret tamquam scriptor corruptus itaque fide parum dignus. Nithardus vero res quam verissime memoriae traditurus Caroli jussum silentio praeterire noluit nec debuit. Deinde vero lectorem forte animadvertere voluit ut respiceret vinculum quo adstrictus multa sibi etsi accuratissime scribenti officerent et quo minus judicium ubique proferret impedirent. Nonnullos quidem exstitisse scimus qui id auctori crimini vertunt quod alia perquam breviter perstrinxerit alia consulto omiserit. Quae si tam gravia sunt ut ad totum rerum statum bene dijudicandum necessaria sint auctor exprobrandus est, sin autem res omissas omnino futiles inveniemus Nostro minime vitio dandas esse puto. Ceterum saepius perspicuum erit Nithardum vinculum quo cum Carolo conjunctus erat, ita sprevisse ut veritatis rationem secutus Caroli animum offenderet necesse esset.

Postquam auctor indulgentiam sibi expetivit „si quid minus vel incultius quam opportuerit pro rerum magnitudine huic operi insertum sit,“ primo capite paucis Caroli Magni memoriam tangit et magnitudine ejus gloriaque imperii tanquam in speculo posteriate proposita, secundo capite ad Ludowici Pii res scribendas transit. Omnia quae hoc capite continentur, carptim et non respecto temporis ordine, narrantur; comparatione cum aliis scriptoribus aequalibus, cum

Thegano, Anonymo, annalistis instituta nihil falsi inveneris: nomen Bertmundi carnificis Bernhardi infelicissimi incassum alibi quaesiveris. Mirum sane est quod auctor divisionem imperii in conventu Aquisgranensi a. 817 propositam ac constitutam omnino silentio praeteriit. Quod non aliter excusaveris quam quod divisionem imperii a. 821 Noviomagi ab omni populo jure jurande confirmatam majoris momenti esse duxit. Ideoque summam ibi initorum consiliorum cum ceteris auctoribus congruus tradit.

Capite III res copiosius narrare coepit. Agitur enim ut causas conjurationis exponat et quomodo Lotharius immemor pietatis erga patrem debitae fidem laeserit seque improbissimum filium praebuerit, ob omnium oculos ponat. Hic jam facillime apparebit, utrum malis artibus usus ad mores indolemque Lotharii describendos injustam rationem seu addendo seu omittendo inierit nec ne. Quod si vitia Lotharii factionisque ejusdem premit dummodo vera sunt in studii insimulationem vocari non potest. Tradit: Cumque anxius pater pro filio (Carolo) filios rogaret tandem Lotharius consensit ac sacramento testatus est ut portionem regni quam vellet eidem pater daret tutoremque ac defensorem illius se fore contra omnes inimicos ejus in futuro jurando firmavit.“ Cujus rei veritatem quamvis aliis fontibus probare non possimus tamen multa sunt ne de Nithardi narratione dubitemus. Primum enim Lotharius beneficiis patris sibi prae fratribus maxime faventis ita obligatus ac devinctus erat ut cunctari non posset quin omnia quae pater optaret libenter suo assensu immo jurejurando comprobaret. Imperator enim 821 designatus non multo post a patre consecutus est ut regni socius una cum patre diplomata subnotaret. Primum diploma (cf. Böhmer reg. Carol.) anno 825 editum est, fortasse eodem tempore quo Ludowicus novo quodam amoris signo Lotharium sibi devincere vellet ut consilia in Caroli favorem inita et comprobaret et adjuvaret. Deinde

vero si ingenium Lotharii ad promissa quibus staturus non erat quam maxime propensum respexeris haud dubie Lotharium talia qaamquam suae commoditati contraria promisisse credere potes. Postremo commemorandum est, quod eadem promissa postea a parte Lotharii renovantur cf. c. 6. Quibus consideratis causis de hac Nithardi relatione quae ad indolem Lotharii cognoscendam multum valet, non dubitandum esse mihi videtur. Tres sunt, Nithardo auctore, prioris conjurationis causae quibus commemoratis Lotharis culpa ita levatur ut Noster cujusvis studii in Lotharium prorsus expers judicandus sit. Lotharium enim ab aliis ad promissa spernenda impulsum, rempublicam a Bernhardo Septimaniae duce „penitus eversam," Alamanniam per edictum Carolo translatam esse tradit. Redeamus ad ea quae de Lothario ad proditionem impulso refert.

„Instigante autem Hugone, cujus filiam in matrimonium Lodharius duxerat ac Mathfrido ceterisque sero se hoc fecisse poenituit et quemadmodum illud quod fecerat annullare posset quaerebat." Mirum sane est, quod auctor Hugonis et Mathfridi tantum mentionem facit, alios vero factionis participes verbo „ceterique" significat. Jam satis quidem compertum habemus, Hugonem et Mathfridum seu ulciscendi cupiditate incensos — anno enim 828 propter rem in Hispania male gestam honoribus privati erant (cf. Einhardi An. s. h. a.) — seu rebus suis se consulturos sperantes una cum Lothario contra imperatorem conspirasse, tamen rempublicam in extremum paene discrimen clericorum factione adductam esse scimus, qui, ut unitatem imperii conservarent, conciliis Ludowici de regno dividendo quam acerrime obsistentes extremam eamque nefariam rationem secuti sunt. Quorum ex numero inprimis erant Wala, Jesse, Agobardus, Elisacher. Nominanc eorum Noster consulto celavit? Quam ob rem? Jam omnes illos viros tempore quo scripsit, mor-

tem obiisse scimus[1]) neque ulla càusa fuit, quod, si complures eorum (e. g. Walam) cum Angilberto patre amicitiae vinculo conjunctos mentione offendere noluisset, rem reticeret praesertim cum postea Walam et Elesacharum nominatim tangit. Simplicius ita explicemus: Cuivis aequalium principes conjurationis tam noti erant, ut significatione „ceterique" nomina eorum cuique legenti indicaret

Quae auctor de Bernhardo Septimaniae duce ejusque in republica administranda ratione tradit, veracitatem suam valde probant. Difficilis quidem res et secum repugnans esse videtur. Cum enim verbis: „Bernardum quemdam ducem Septimaniae pater in supplementum sibi sumens camerarium constituit Carolumque ei commendavit" — satis indicaverit, Carolum, cujus a partibus ipse stabat, potissimum Bernhardi opera ad regnum accessisse, tamen ducis consilia in re impetranda severe improbantur cum dicat: „Qui (Bernhardus) dum inconsulte re publica abuteretur, quam solidare debuit, penitus evertit." Scimus, Bernhardum multis, imprimis clericorum factioni exosum fuisse et in Radberti „Vita Walae" summis conviciis afficitur. Legimus ibidem L. II c. VII. „Heu misera dies, quando sceleratus Naso Bernhardus vocatus est ab Spaniis, evertit palatium, destruxit consilium, dissipavit omnia rationis jura, consules omnes divinos humanosque expulit. L. II c. VIII „Bernhardus, furia, bellua factiosissima." cf. l. II c. IX, X. — Quae cum a clericis iisque camerario infensissimis dicantur quanti habenda sint, facile intelligi potest. Sed quomodo auctoris judicium, Ludowico Caroloque amici ac socii comprehendas? Multum enim abest, ut in judicando Bernhardo illorum fabulas in-

---

[1]) Wala obiit d. 31 Aug. cf. Le Cointe VIII. 439. — Elisacher, Jesse an. 837. (cf. Astronom. c. 56. Bertiniani 837.) Agobardus dxx Jun. 840. (cf. Chronicon Sct. Benigni Bouquet VI. 242) mortui sunt.

eptiasque secutus illud dixerit, ut sua ratione usus qualem semper se praebet, recte dixisse putandus sit. Nam si illi de Bernhardo contumeliose dicunt, iccirco fit, quod camerarius commodis eorum minime favit, „de facultatibus ecclesiarum multa in imperatoris suorumque praesumsit“ (cf. Vita Walae L. II c. 3): Nithardus vero in tali reipublicae gerendae ratione ad quam et famam de Bernhardi et Judith familiariate utrum vere nec ne vulgatam addas, causam ratus, cur animi odio in illum incensi ad conjurationem faciendam tam propensi fuissent, merito consilia ducis improbavit. Quem si multa cum libertate notat, quae de Bernhardo protulerit ea ad Ludowicum imperatorem accusandum qui suam auctoritatem non interponeret sed quaeque ab illo facta probaret, pertinere nos non fugit. Eandem quidem speciem alius locus (cf. lib. II, c. 5) praebet ubi haec traduntur: „Quo Bernardus veniens, quum neutrum fecisset graviter Carolus ferens seductiones quas patri fecerat et hactenus illi faciebat.“ Accedit quod Nithardus eodem tempore quo hoc scriberet fortasse ambiguam Bernhardi fidem penitus cognoverit eoque magis quid de illo sentiret libere judicaverit. — De eo, quod Carolo anno 829 Allamannia tradita est, res, quae et ab annalibus Weissenburgensibus (cf. Pertz scr. I.) refertur nihil mihi adjiciendum esse videor. (cf. Ann. Xant. s. a. 829.)

In describendis iis rebus quae ad conjurationem Compendii anno 830 exortam pertinent, auctor mendacii speciem sibi contraxit. Tradit enim: „Quam ob rem pariter cum omni populo patri ad Compendium superveniunt reginam velaverunt, fratres ejus Conradum et Rudolfum totonderunt atque in Aquitaniam servandos Pippino commiserunt.“ Cum modo antea de Lothario dixerit, eum „tam fratres quam et universam plebem veluti ad restaurandum rei publicae statum animavisse,“ illis citatis verbis pergit ac si Lotharius Compendii tempore conjurationis exortae praesens et omnium rerum ibi commissarum particeps fuisset.

Manifestum vero est, Lotharium conjuratione patefacta ex Italia Compendium contendisse [1]). Agitur ut hoc loco Nostrum, cum quae narrat, a rebus ipsis abhorreant a crimine fraudis defendamus. Primum vero in auctore dijudicando rationem suam scribendi respicere necesse est. Nam, ut jam dixi, primo libro res Ludowici imperatoris perquam breviter et strictim scribens, summam rerum complectitur itaque hoc loco mendax esse videtur. At si consideramus, Lotharium paucos dies post exortam conjurationem Compendium venisse, quae a Pippino et factione ejus facta essent comprobasse, Heribertum Bernhardi fratrem oculis privasse, patrem ac Carolum fratrem sub „libera custodia" servasse, non possnmus quin Nithardum optimo suo jure, tertia pluralis persona adhibita, Lotharium participem vel potius auctorem criminum fecisse dicamus. Scimus enim, Pippinum a Nithardo silentio praetermissum quamquam ab omnibus scriptoribus auctor conjurationis dicitur, tamen a Lothario deceptum ad turpissimum ministerium ei operam suam commodavisse ut crimen facinoris non in Lotharium sed in Pippinum caderet, Lotharius vero innocentissimi hominis speciem praeberet [2]).

Ad nequitiam Lotharii patefaciendam auctor porro addit, conjuratos — patre restituto — „ab ipso Lodhario ad mortem dijudicatos esse." Qua de re quod dubitemus non habemus. Anonymus enim tradit (cf. cap. 46.): „Cum omnes juris censores filiique imperatoris judicio legali decernerent capitali sententia feriri." Bertiniani referunt: „Primum a

---

[1]) Anonymus s. a. 830. Circa Majum Lotharius ex Italia venit. Bertiniani s. a. 830. Post octavas autem paschae Hlotharins de Italia perveniens placitum illic (Compendii) habuit.

[2]) Anonymi verba: „Lotharius ipse tamen nihil tunc temporis patri intulisse visus est dedecoris, probavit autem quae gesta erant" opinioni nostrae non repugnant. Cf. Funk p. 105.

filiis ejus (sc. Ludowici imperatoris) deinde a cuncto populo judicatum est, ut capitalem subirent sententiam.“ Neque vero id auctori dandum est vitio quod tale indolis argumentum in Lothario urget.

Hoc loco Nithardi patrocinium mihi suscipiendum est cum Funkius ei multa objecerit quae fore ut refutentur spero. Legimus enim sub finem cap. III.: „Pippinus quoque ut Lodhuwicus quamquam eis regna sicut promissum fuerat aucta fuissent, tamen in imperio ut post patrem primi essent uterque laborabat.“ Contra ea Fnnkius haec profert (cf. Funk Ludwig der Fromme, Anmerkg. z. Abschnitt XX): „Nithard behauptet, Ludwig und Pippin hätten die versprochene Vermehrung ihrer Rechtstheile wirklich erhalten, er sagt aber nicht worin dieselben bestanden, verschweigt dann den Aufstand Ludwigs lm Jahre 832 u. s. f.“ „Nithard's weitere Angabe, dass Ludwig und Pippin sich um die erste Stelle nächst ihrem Vater gezerrt hätten, passt auf die Zeit zwischen 834—38, nicht aber auf das Jahr 831 in welchem sich Pippin nur während der kurzen Zeit der Februarversammlung in Achen am Hofe seines Vaters aufhielt.“ — Ad ea refutanda haec affero. Mira Funkii conclusio esse videtur, de Nithardi relatione dubitandum esse quod non dixerit quibus partibus prolatio finium constitisset. Deinde vero tabulae exstant de quarum tempore magna quidem inter doctos viros controversia fuit. Ratione autem et temporum et rerum habita Pertzium sequimur qui eas anno 830 tribuit quia cum temporis conditionibus optime congruunt. Cf. Pertz legesp. 357.

Funkius porro Nostro exprobrat, quod nihil de Ludowici (anno 832) in patrem facta seditione memoriae prodiderit. Qua in re omnino non respexit quod auctor praefatione libri I exponit: „Praeterire autem ea quae temporibus pii patris vestri gesta sunt disposueram; sed facilius cuilibet legenti altercationum vestrarum veritas patebit, si quae-

dam quae suo in tempore contigisse novimus summotenus praelibavero.“ Id enim tantum agit, ut hoc libro collatis rebus gravissimis iisque quae, quam injuste Lotharius sese gesserit, optime patefacerent, lectorem ad posteriores res recte intelligendas quasi introduceret.

Quod Funkius de studio Pippini ad principatum apud patrem obtinendum collato annotat levius dictum esse puto. Omninone erat necesse ut Pippinus ad rem impetrandam in aula regia praesens esset? nonne per viros suae factionis qui multum apud patrem valerent rem consequi potuit. Et quae Funkius (cf. Abschn. XVIII n. 6.) de Ermoldo commemorat ad meam opinionem defendendam pertinere videntur. Sed ad Nithardum redeamus!

Alteram conjurationem anno 833 exortam de qua cap. IV et V agitur paucis perstringam. Auctoris judicium ab omni partium studio et ira vacuum esse optime eo intelligitur, quod nunquam convicia in Lotharium congerit sed eum a malis ejus factionis consiliariis de recta via abductum depingit; omnia quae Compendii et in monasterio St. Medardi Suessionis auctore Lothario praesente nefarie in patrem commissa [1]) silentio tegit. In describendis iis quae ad imperatoris restutionem pertinent nimis brevis ac parum diligens esse videtur. De Ludowici enim studiis paene nihil tradit praeter quod dicit: „Occurebat insuper etiam filiis verecundia et poenitudo quod patrem bis honore privaverant ac per hoc in restitutione ejus consentiunt.“ De Pippino quidem paulo post addit: „Pippinum ad se venientem benique excepit gratias in eo quod pro sua restitutione laboraverat egit,“ de Ludowico autem cujus opera imperatorem hac in re potius usum esse constat, tacet. Quin etiam verbis: „tandemque Lodhuvicum venientem“ gratanter excepit“ eum ac si nihil ad rem restituendam fecisset accusare videtur.

---

[1]) Anonymus c. 49. Thegan. 43. 44. Acta exauctorat. Narrat cleric. Remens. Bouquet VI 243. sq. 251.

Sic quidem Häusserus illum locum interpretatus esse videtur cum Nithardum vituperet quod Lodhuwicum „mit sehr schwarzen Farben“ depinxerit [1]). Tamen re bene considerata aliter se habet. Equidem illud „tandemque“ non tanquam accusationem sed ex animo imperatoris desiderio filii qui sibi auxilio venerat — quod Nostrum neque ignorasse nec negaturum fuisse putes — commoti dictum intelligo atque ita nihil offensionis in Ludowicum habet. Ad eandem rem illud pertinet quod c. III. refertur: „In hoc negotio ad Pippinum Ludhowicumque occulte direxit promittens, si in sua restitutione una cum his qui hoc cupiebant adesse voluissent, regnum utrisque amplificare velle ac per hoc perfacile cupideque paruere.“ Quo loco nisus Häusserus itidem Nostrum regni cupiditatis Ludowicum ac Pippinum accusantem immerito objurgat. Quis enim re bene perpensa, filios magis suae salutis causa quam pietate erga patrem imperatori restituendo operam dedisse, potestatis avidissimos fuisse negare velit?

Nithardum in errorem delapsum esse cum retulerit „reginam an. 834 non antea“ thoro regio receptam esse donec se criminibus objectis innoxiam efficeret, Funkius jam rectissime animadvertit. Qui error quanti aestimandi sit, facile dijudices. Quae de malefactis et crudelitate Lotharii Cavilone commissis cap. V. narrat relationibus omnium scriptorum [2]) congrua sunt neque ullum studii vel falsationis vestigium produnt.

Ex tabulis publicis certe desumpta sunt quae cap. VI. de portione regni Carolo tradita referuntur quod et eo patet quia haec portionis charta cum Bertianis [3]) praeter quos nusquam invenitur, ad verbum congruit. Funkius Capitulare

[1]) cf. Pagina 2.

[2]) Thegan. 52. Anonymus etc.

[3]) Ann. Bertiniani ad an. 838.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

supra commemoratum (cf. Pertz leges pag. 356) ad annum 836 referens, sine ullis fontium argumentis divisionem quandam Wormatiae a. 836 institutam esse contendit et res a Nostro simpliciter aliisque scriptoribus congrue relatas omnino confundit. [1]).

Suspiciosus in Nithardi fidem ad suam opinionem probandam Nostro vitiosam relationem imputat, [2]) quod quam temere fecerit, ceteris fontibus adhibitis facile est intellectu. — Ceterum parum intelligo, cur Nithardus hujus imperii divisionis quae postea non stetit mentionem fecerit, cum ad Caroli conditionem juris demonstrandam nihil valeat. Aeque Anonymus censuit cum referat. „Insistente Augusta et ministris palatinis quandam partem imperii filio suo dilectissimo Carolo Aquisgrani tradidit sed quia inofficiose remansit a nobis quoque silentio premitur.“

Nunc me ad cap. 7 vertam quo de conventu Wormatiae 839 habito tam copiose dilucideque agit et totius rei faciem ita ostendit, ut non clarior futura fuerit spectantibus. Itaque recte censuisse mihi videor cum Nithardum in eo concilio ipsum adfuisse dixerim. Ac si quaerimus cur auctor cum cetera perquam breviter scripserit, de illo conventu fusius egerit, facile est intellectu, eum jure optimo illo concilio summam gravitatem attribuisse. Erat enim suprema sententia ante mortem Ludowici imperatoris de futuro imperii statu pronunciata atque sanctissimis jurejurandis mutuis sancita. Quicunque istud foedus rupit scelere laesae fidei sacramenti manifesto se devincturus erat. [3]) Non alienum a proposito fore puto collatis omnibus quae ad Lotharium et Carolum pertinent conditionibus, rerum statum dis-

---

[1]) Funk. cap. 23. 24.

[2]) Eodem loco.

[1]) Rectissime igitur Ado dicit: Chlotharius — animum patris non parum laedens pro integritate vix partem regni obtinere meruit.

perse ac dissipate dictum unum in locum cogere et reminiscendi causa unum sub adspectum subjicere. Ita enim facillime in universum intelligitur num ratio auctoris in republica judicanda a rebus ipsis abhorreat et quo jure rem Caroli Calvi defenderit. Si omnia, quae a Lndowico Pio inde ab anno 830 usque 840 de futuro imperii statu legibus ac placitis instituta sunt, respicimus, facile apparet, imperatorem a ratiöne unitatis imperii conservandae prorsus destitisse et omnes Lotharii conatus et recuperandum principatum factos non legitimos sed injustos esse appellandos. Rudolphus quidem annalista Fuldensis s. a. 840 tradit: „Lotharium vero de Italia sero venientem Franci loco patris ejus super se regnaturum suscipiunt. Hunc enim ferunt imperatorem morientem designasse ut post se regni gubernacula susciperet missis ei insigniis regalibus hoc est sceptrum imperii et corona“ — tamen verbum „ferunt“ nobis scrupulum de re iniicit et satis demonstrat annalistam ipsum non certis auctoribus rem compertam habuisse. Anonymus vero eandem rem commemorat, sed ita ut rei omnino aliam vim subjiciat. Refert (cf. Vita Ludov.) „Et Lothario quidem coronam ensem, auro gemmisque redimitum eo tenore habendum misit ut fidem Carolo et Judith servaret et portionem regni totam illi consentiret et tueretur quam Deo teste et proceribus palatii ille secum et ante se largitus ei fuerat.“ Jam cognoscimus, illam Rudolphi relationem cum rerum ipsarum conditione comparatam stare non posse. Quibus enim de causis Ludowicum imperatorem supremis vitae horis id egisse crederes ut quae inde ab anno 830—839 factione clericorum quam acerrime obsistente et republica in ultimum discrimen adducta de futuro imperii statu in favorem Caroli constituere molitus ac tandem consecutus erat, penitus annullaret, conditiones filii dilectissimi incertissimas redderet? Lotharium quidem et qui ejus partibus favebant, pacto Warmatiae anno 839 facto et jure-

jurandis ab utraque parte sancito, de principatu actum esse, ratos, ut illam annis 817 et 821 constitutam imperii divisionem tuerentur famam de summa Lothario ab imperatore tradita potestate vulgavisse facile est intellectu.

Quod si in plerisque tum temporis scriptoribus rem Lotharii justam esse legimus, non est praetermittendum, illos omnes e grege clericorum fuisse, qui cum Lotharii asseclae essent de veritate deflectebant. De populorum vero animis divisioni imperii infestis nihil legimus quod non ita mirum cum ab quovis regum superiorum inde a Pippino usque ad Ludowicum regnum inter filios distribui soliti essent. Itaque clericorum opinionem non communem fuisse, manifestum est. Ex Lotharii parte stant hi scriptores: Rudolphus Fuldensis de quo jam dixi, deinde annales Xantenses [1]) qui sub ann. 840 referunt: „Postea vero Lotharius imperator est profectus de Italia in Franciam concessum sibi a patre possidere regnum.“ Praetereo ex aliis coaevis scriptoribus intelligere liquet eos, cum divisionem imperii pro summa calamitatae habeant, Lothario deditos fuisse. [2]) De quorum verbis quid judices facile est intellectu. Nam concilium Wormatiense anno 839 habitum et quae ibi constituta sunt a nemine eorum negari potuit (cf. annal. Fuld. 839) [3]) itaque Lotharii vindiciae injustae erant. Eo accedit, quod imperatorem cum post seditionem anno 833 factam Lothario non permitteret ut tabulis publicis subscriberet, eum non amplius pro socio imperii habuisse

---

[1]) Quin etiam anno 869 referunt: Eo tempore ut propheta ait, propter peccata terrae multi principes ejus quatuor reges regnarunt in regno quondam Caroli Magni.

[2]) cf. Flori diaconi querela. Bouquet III. 301. Agnellus in libro pontific. Muratori Script. T. II. Qualis in hoste solus decem ut ille fuissent, imperium divisum non esset.

[3]) s. a. 839. Mense Majo Wormatiam veniens regnum Francorum inter eum (Lotharium) et Karolum filium suum minimum dividit.

scimus. cf. Böhmer Regest. Quae res quantopere Lotharii asseclas dolore affecerit ex Vita Walae [1]) et Agobari epistola [2]) flebili satis intelligi potest. —

Quibus expositis cum jam non dubitari possit qua in parte jus fuerit, ad Nostrum redeamus.

De capite 8. cum quae ibi narrantur aliis iisque certissimis auctoribus congrua sint, non habeo, quid addam itaque ad alteram partem transeo.

Pars II.

Cum priore parte res a Nithardo traditas singulatim persecuti in hac parte eadem ratione ob nimiam aliorum fontium inopiam uti non liceat necesse est, omnia quae libro II. III. IV. continentur in duas partes distribuere. Quarum altera iis rebus constat, quae comparationem cum aliis foatibus instituere sinunt, altera vero in quibus recensendis cum tantum in Nithardo inveniantur, non alia critices norma quam verisimilitas et ratio rebus ipsis congrua adhibenda est.

Sunt autem prioris generis perpauca, alterius plurima, ut ex hoc indice intelligi liquet:

Referas ad prius genus:

Liber II. cap. 1. 2. 4. 7. 9. 10.
Liber III. cap. 1. 3. et 4. quaedam 5. 7.
Liber IV. cap. 2. 3. 4. 6. —

---

[1]) Paschasius Vita Walae L. II, c. 10. Honorius (sc. Lotharius) qui erat longe diu consors a patre et ab omnibus procreatus imperator removetur a potestate, repellitur a consortio.

[2]) In processu temporis quotiescunque aut quocunque Imperiales litterae mitterentur, amborum imperatorum nomina continebant, postea vero mutata voluntate convulsa sunt statuta et de litteris nomen omissum est.

Referas ad genus alterum:

Liber II. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 8. 9. 10.

Liber III. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

Liber IV. cap. 1. 3. 5.

Nunc me ad singula prioris generis cum aliis fontibus comparanda et recensenda vertens a secundo libro incipiam.

Liber II.

Postquam auctor praefatione quasi ironice dixit, se expositurum esse „qua virtute et industria" Lotharius Carolum fratrem persecutus sit, primo capite de ratione Lotharii ad principatum totius regni obtinendum inita agit. Non aperte sed malis artibus usus rem consecuturum esse sperat. De legationibus postea disseram. Id quidem constat, Lotharium consilium iniisse Carolum regno privare. Quam rem congrue Nostro tradunt: Annales Labienses sub ann. 841. „Defuncto Ludowico imperatore reservus Lotharius ab Italia Pippinus filius Pippini ab Aquitania filii Hildegardis voluerunt Karolum filium Judith privare ex ea parte quam sibi concesserat pater."

Hincmarus in „instructione novi regis etc." dicit: Qui cum Lotherio erant immiserunt illum in hoc, ut fratres suos exhaeredaret. Pari modo Bertiniani, Adonis Chronicon de Lotharii consiliis sentiunt. [1]) Quod de Ludowici et Lotharii conventu apud Magontiacum a Nostro memoriae proditur cum annalibus Fuldensibus congruit, qui tempore instituti conventus non indicato hoc tradunt: Hluthario in suburbanis

---

[1]) Bertiniani sub 840: Lothario comperto genitoris obitu ab Italia Gallias ingressus, jura naturae transgressus, Imperatorio elatus nomine in utrumque fratrem Ludowicum videlicet et Carolum hostiliter armatur. Chronic. Adonis: Lotharius ab Italia egressus totum imperium arripere molitur.

Magontiacis cum exercitu venienti frater ejus Hludowicus cum manu valida orientalium Francorum etc. occurrit, initoque pacto et dilato in aliud tempus placito Hlutharius contra Carolum proficiscitur.

Cap. II. sub fin. „Karolus ab Aquitania Carisiacum venit.“ Recte auctorem tradidisse intelligitur ex Lupi epistola XXIII, qua regem die X August. Turonibus fuisse, die 24. ej. m. Carisiacum venturum esse dicit.

Cap. IV. Quae de pacto inter Lotharium et Carolum facto narrantur, a Bertinianis comprobantur, qui rei formam adumbrant cum dicant: Quibusdam conditionibus ab utroque discessit (Lotharius) nec tamen contra eos seu clam seu manifeste pravitatem suae cupiditatis atque crudelitatis destitit machinari.“

Cap. V. „Quamobrem Karolus Bituricas iterum obviam illi venit.“ cf. Böhmer Regest. Nr. 1532.

Cap. VII. De Lotharii et Ludowici Germanici, qui dicitur, certamine agitur. Quamquam auctor testis oculatus non fuit, tamen res congrue aliis fontibus praecipue Fuldensibus, qui de hoc bello optime referre poterant, memoriae prodit. Adhelbertus, Mettensium comes, qui auctore Nithardo, Ludowicum „ad mortem usque exosum habebat“ a Rudolpho „incentor discordiarum“ dicitur. Neque minus quae de malis Lotharii artibus ad milites Ludewici corrumpendos a Nostro referuntur cum Fuldensibus et Bertinianis consentiunt. Fuldenses tradunt: „Lotharius inchoante mense Aprili juxta Wormatiam cum exercitu clam Rhenum transiit et Hludowicum a quibusdam suis proditum ac paene circumventum Bajoariam redire coegit.“ Bertiniani vero referunt: „Astu quoddam atque perfidia populi Ludowico adhaerentis, Lothario transeunte Rhenum, Ludowicus Bajoariam petit.“

Nithardi notationem, Lotharium Aquis pascha celebravisse, recte factam esse intelligitur ex Reg. Böhm. Nr. 563. C. IX

„Cadhellonicam Karolus adiit urbem - repente nuntiatur quod Ludowicus cum Adhelberto duce Austrasiorum proelio commisso vicisset.“ Scimus, Carolum postquam Lotharium Attiniaci VIII d. Maj. (cf. c. 4. 9.) frustra exspectavit, die XIII mens. Maj. Cadhellonicam contendisse ibique matrem cum Aquitanis recepisse; itaque Nithardi relatio cum rebus ipsis optime consentit. Cf. de pugna Ludowici cum Adhelberto die XIII m. Maj. commissa: Fuldenses. Notitia brevis. Pertz scrip. I. 70. Radbert. cas. Sct. G. Pertz I. 67.

C. X Quae hoc capite de mutuis fratrum legationibus ante pugnam commissam traduntur ab aliis fontibus probatur. Fuldenses enim referunt. „Ubi cum tres fratres de portione regni concordare non possent, renuente H. Lothario, qui sibi monarchiam vindicabat, ferro decernendum et Dei judicio causam examinandam decreverunt.“ Bertiniani eodem modo: „Apud fratrem Lotharium saepe pacis ac unanimitatis totius quoque populi et regni gubernatione celeberrimis legationibus satisagunt. Qui tamen saepius eos legatis et juramentis ludens etc.“

De eventu proelii omnes scriptores idem sentiunt. [1]) Gfrörer Nithardo crimini vertit quod nihil de Georgio papae legato [2]) memoriae prodiderit, idque consulto fecisse dicit. Quae res quam futilis sit, neminem fugere potest.

Liber III.

C. I. De iis quae post pugnam a fratribus facta sunt ceteri fontes a Nostro non discedunt. Fuldenses quidem re-

---

[1]) cf. Ratpert. Cas. S. G. c. 7. Pertz Scr. II. — Francor. regum hist. Pertz II. Adonis chrnnicon. Pertz II. Annal. Xant. Bertiniani. Fuldenses. Lobienses chronic. Fontanell. — Widukind I. 28. etc.

[2]) cf. Muratori ann. d'Italie 841. et Murat. Script. T. II.

ferunt: „Collectis ac sepultis eorum cadaveribus qui ex sua (sc. Caroli et Ludowici) parte ceciderant“ tamen Nithardo qui rebus interfuit major fides habenda est cf. Bertiniani hac de re.

C. II. „Hinc per Remensem urbem“ Carolum initio mensis Septemb. Remis fuisse constat, cf. Böhmer Nr. 1533. nam die I Sept. Corbonaco inter Laudunum et Remos fuit.

C. III. „Lotharius a Warmatia ad conventum quod Teotonis villam indixerat iter arripuit.“ Comprobatur Regest. Böhmeri 571. 572. „Idem ipse (Carolus) Parisiacum urbem adiit.“ Cf. Böhmer Reg. N. 1534 ubi Carolum die VI Nov. St. Dionysii fuisse reperitur.

C. IV. „Lotharius a Turones redire coepit et fatigato exercitu tandem fessus Franciam pervenit“ cf. Böhmer: die V Febr. Aquis adest.

C. V. „Ludowicus et Karolus — convenerunt“ Fuldenses: „Occurit ei (Ludowico) Karolus apud urbem Argentoratum etc. Bertiniani summam sacramentorum Nithardi verbis congrue referunt.

„Cumque Wormatiam venissent.“ Cf. Böhmer No. 1536.

C. VII. „Ergo 16 Kalend. Aprilis etc.“ Fuldenses: Hlotharium in villa Sentiaza morantem fugere compellunt 18 Kal. April.

„Lotharius se super ripam Rodani excepit“ Fuldenses: apud Maconam consedit;“ Bertiniani „Lugdunum petit.“

„Otgarius — litore relicto fugerunt“ Bertiniani: „omnes Lotharii excubiae velociter aufugerunt.“ Xantenses: Lotharius contra eos, sed cum vidisset, quod a suis deceptus esset, fugiens etc. Ad hanc Otgarii fugam referas versum apud Nicol. Serarium Moguntiac. rer. l. V. p. 622. „Silicet arma minus quam sacra, Otgarie, noras.“

Liber IV.

C. II. Agitur de Saxonum rebellatione.[1]) Auctor quamvis rerum in Saxonis gestarum testis non fuerit sed ab aliis iisque, ut arbitror, qui una cum Ludowico in illis expeditionibus fuerant, compertas haberet: tamen copiosius omnibus aliis fontibus narrat. Exceptis Bertinianis tantum Fuldenses et Xantenses seditionis mentionem tenui quidem sed Nostro congruo stilo faciunt. Funkius in eo loco ubi de Stellinga agit (cf. pag. 206) multa temere contendit atque Nithardi relationem, opinione praejudicata, falsam et con-

---

[1]) Hac in re nequaquam cum Dümmler — Geschichte des ostfränk. Reichs T. I. p. 160. — et Funkio l. c. consentire possum, quorum uterque seditionem potissimum contra nobiles ingenuos factam esse contendit. Primum enim nusquam, ut Funkius opinatur, fontibus probari potest, Saxonum nobiles Francorum imperio deditos patriae libertatem prodidisse ad honores a victoribus obtinendos. Carolus Magnus, Saxonia domita, comitibus ac missis iisque imprimis ex Francorum gente electis quorum de fide securus esse posset, summam potestatem tradidit. Nuspiam fontibus liquet, liberos odio in Saxonum nobiles ab nimiam eorum superbiam flagrasse. Equidem tantum fontibus nisus arbitror, rebellionem imprimis contra nobiles et clericos e gente Francorum exarsisse. Et, ni fallor Nithardi verba: „frilingis lazibusque promittens, ut legem quam antecessores sui tempore qui idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam concederet“ — tantum ad cultum paganum pertinere. Nam si tempora, antequam Saxones Francis subjecti erant, respexeris, frilingos et lazzos utrosque pro sua dignitate in quadam nobilium ditione retentos fuisse, eandemque semper aequo animo tulisse invenies. Lotharius igitur jam rem majoris momenti illis policiturus fuerit; motus igitur contra clericos et nobiles, christianismum tuentes factus est. Christianismum vero tum temporis omnibus molestum fuisse nos non fugit. Rabanus quidem eodem fere tempore in praefatione librorum de „Universo“ conqueritur de improbitate et insolentia morum Saxonum. — Ceterum cf. hac de nostra opinione: Schaumann „Geschichte des niedersächsischen Volks,“ pag. 184. —

sulto depravatum esse dicit. „Initio certaminis, auctore Nitharto, pars illorum (Saxonum), quae nobilis „inter illos habetur in duabus partibus divisa, unaque eorum Lotharium, altera vero Lodhuwicum secuta est.“ Plerosque vero ex partibus Lotharii stetisse putandum est, quod Adhelbertus comes Mettensis, Ludhowico inimicissimus (cf. l. II. c. 7.) multum apud eos valebat. Fuldenses enim sub a. 838 narrant: „Imperator Rhenum transiit obvios habens Saxones partim minis partim suasionibus Adalberti comitis adductos.“ Quo mortuo (cf. lib. II. c. 9.) cum post pugnam Fontaneticam res Lotharii in summum discrimen adducta videretur, nobiles a partibus Lothari stantes ad fratres defecerunt (cf. lib. III. 4.). Itaque Lotharius, ut Saxoniam sibi conservaret eam rationem iniit quam Noster tradit. Quod Nithardus de Lothario Nortmannos in auxilium sibi asciscente dicit, Funkio ansam acerrimae reprehensionis praebuit, cf. p. 206. „Lothars Gegner schämten sich nicht auszusprengen, Lothar mache Heiden zu Herren in christlichen Landen, und weise sie an, die Christen in anderen Gegenden auszuplündern.“ Primum vero contendo, Nithardum minime dicere voluisse: Lotharium Nortmannos incitavisse: verba quibus utitur: „ut ceteros christianos depraedarent, licentiam dabat“ non aliud significant „quam non impedivit.“ Quam vim locutionis illius duo alii loci satis probant, cf. l. IV. c. I. et V. Deinde vero merito Lotharius vituperandus erat, quod illis consiliis et christianismum in ultimum discrimen adduceret et portas imperii, ut ita dicam, hostibus infestissimis aperiret. cf. Dümler p, 161. Schwarz p. 55.

Cap. III. „Nortmanni Contwig depraedati sunt.“ Idem Bertiniani tradunt: „Eo tempore Normannorum classis in emporio quod Quantovicus dicitur depraedationibus ita debacchati sunt.“ De aliis locis nihil traditur. Pertzius qui locos Hamwig et Nordhunwig pro „Hamburg“ et „Norden in Frisia orientali habuit, valde erravit; recte nobis Lap-

penberg (Schmidt's Zeitschrift V.) locos cognovisse videtur cum eos pro „Southampton et Norwich“ habeat. Quae de legatione Lothari ad fratres missa narrantur Ann. Bertiniani et Fuldensis satis adumbrant. Bertiniani referunt: „apud fratres super pacis foedere licet invitus satagens, legatos quibus plurimum nitebatur dirigit.“ Fuldenses: „fratres cum jam vidissent, proniorem (sc. Lotharium) ac faciendam cum iis pacem, foedus inire maluerunt.“

Cap. IV. Nithardum de conventu apud Madasconem habito et quae ibi pacta fuerint recte narravisse aliis fontibus probatur. cf. Betiniani Fuldens. Adonis chronic. Hoc loco fratrum rationes post conventum peractum leniter tamen sensibiliter vituperat. Qui cum juravissent „quemque in sua portione usque ad conventum Cal. Octob. indictum pacifice remansurum esse, tamen, juramenti obliti, quisque tempore interposito spiritus hostiles induit.

Nithardus porro refert: „Ludhowicus in Saxonia seditiosos nobiliter, legali tamen caede compescuit. Copiosius de hac re Bertiniani tradunt; cf. Fuldenses, Xantenses. Mirum est quod in Annal. Xantensib. aeque quam in Nithardo verbum „nobiliter adhibitur; illi enim referunt: Ludewicus servos Saxonum superbe elatos nobiliter afflixit; fortasse ex Nithardo descriptum esse putes. Ceterum locus citatus Nithardi mendosus mihi esse videtur; particula enim advers. „tamen“ verbo „nobiliter“ postposita non sanum sensum praebet. Itaque conjicio Nithardum scripsisse „crudeliter tamen legali caede compescuit.“ Quodsi vero locum incorruptum esse putas verbo „nobiliter“ vim nostri „berüchtigt“ subjicias necesse est. —

Lotharium, tradente Nithardo, Kal. Octob. in „villa Teotonis“ fuisse Regestis Böhmeri probatur. cf. Böhmer 575, et Mohr cod. dipl. I. 39. Bertin. Mirum est, quod Nithardus centum decem legatos Confluentem venisse dicit,

cum Rudolphus tradat cf. sub a. 842: „ea conditione, ut et partibus singulorum 40 ex primoribus electi etc. — itaque merito culpam iis qui opus transcriberent tribuamus atque numerum Rudolphi substituamus, praesertim cum et paulo antea Nithardus de octoginta missis a partibus fratrum electis mentionem faciat.

Cap. V. Quae hoc capite de conventu Confluente habito continentur a Fuldensibus paucis adumbrantur; referunt: Cum missi eorum in Confluente castellio convenientes de partitione regni concordare non possent dilato in aliud tempus placito, singula ad sua revertuntur.“ Ceteri scriptores tacent.

Cap. VI. De novo primorum in villa Teotonis habito conventu ceteri scriptores nihil tradunt. „Eodem tempore Mauri“ — Eodem modo Bertiniani rem narrant: „Inter ea Beneventanis inter se dissidentibus Sarraceni ab Africa invitati primo quidem auxiliatores postmodum vero violenti insecutores plurimas civitatum vi obtinent.“ Rem non vanam famam fuisse, ex Leone Ostiensi in chronico Casinensi (lib. I. c. 25 facile intelligitur.) cf. Muratori annali d'Italia ad 840—59. — De nova Stellingae seditione Nithardus solus auctor exstitit. Verbis „nimia caede prostrati sunt“ reprehensionem Ludowici inesse dicere velim. — In statuendo die quo Carolus matrimonio cum Hirmentrude conjunctus fuerit, Noster aut in errorem adductus est, aut calami culpandi sunt. Duobus enim tabulis publicis patet, Carolum nuptias die XIII, non die XIV Decembr. 842 celebrasse. cf. Bouq. VIII, 519, 582. Sequentes Nithardi notitias de locis ubi Caroli moratus est, recte factas esse, comparatis Regest. Böhmeri comperimus. cf. 1537. 1538. 1539. 1540. 1541.

Hisce locis ad fidem Nithardi probandam collatis quamvis potius annotationes historicas ad scrtiptorem quam commentationem de scriptore protulisse videar, tamen, cum ratio inita ad propositum exseqnendum non recusanda esset, me facile veniam impetraturum esse spero. Cognovimus, Nithardi narrationem, exceptis quibusdam parvis erroribus, in iis partibus, quae comparari licet, prorsus cum rebus, ut compertas habemus, consentire. Pergamus igitur ad ea, quae restant. Sunt talia, quae tantum in Nithardo reperiuntur. —

Quibus in recensendis cum veri similitudo, quae rebus traditis inest, tum communis omnium consensus summa lex esto. Materiae quae tribus libris continetur, summam complexi, in primis relationes de mutuis fratrum legationibus ac pactis, quibus Lotharii astutia ac nequities optime patefit, respiciamus. Commemorantur antem modo copiose modo breviter legationes, lib. II. c. 1. 3. 4. 8. 9. 10., lib. III. c. 3. 5., lib. IV. c. 3. 4. Quarum tantum quasdam paucis perstringam et spero fore, ut quivis scrupulus de ceteris nobis animo evellatur.

Cap. II. libri II. Nithardus agit de legatione quam simul cum Adelgario ad Lotharium suscepit. Orationem vero ita obscurat, ut quasi artes et consilia clandestina, quibus in agendo uterentur, stili imagine exprimere voluisse crederes. Lotharius fratris legatos in suas partes transducere studuit et ab illis repudiatus eos honoribus privavit. De hac relatione dubitare non licet si superiorem Lotharii rationem ad homines corrumpendos quam maxime propensam respexeris: hoc est Lotharii ac prorsus in ejus indolem quadrat. cf. lib. II. c. 4. ubi idem repetitur.

Cap. II. libri II. Grave specimen malae fidei Lotharii nobis traditur. Carolus et Lotharius in vicinitate Aurelianensis urbis de pace egerunt et ex pacto constitutum est I. „ut Lotharius Carolo regna, quae illi deputabat, quieta

habere faceret;“ II. „ut interim in Ludowicum hostiliter ire desiisset.“ [1])

Quibus conditionibus Lotharius minime stetit. Nithardus refert: „In regna, quae illi deputaverat, statim direxit et in quantum potuit, ne illi se subderent perturbavit et quemadmodum Ludowicum dolo an vi superare posset intendit.“ Quae etiamsi a Nithardo relata non essent ex aliis indiciis facile cognoscere lieet. Compertum enim habemus duobus diplomatibus [2]): Lotharium die VI Februar. 841 — ergo inter pacti tempus — Theoperto episcopo Massiliae immunitatem et vectigalia affirmasse, qua ex re facile conjici potest, illum talibus donationibus viros Carolo subditos ad se pellicere studuisse. Quod conditionem de Ludowico bello non persequendo non tenuit jam satis conspicuum est. Nithardus igitur in his quoque rebus prorsus fide dignus videtur. Eodem modo indoles Lotharii ad malam fidem semper proclivis in reliquis, quae traduntur, rebus sese praebuit. Persuasum vero nobis habemus, Nithardum nimio odio in Lotharium non indulsisse. Sunt enim tam multa eaque gravissima fallaciae ejus testimonia ut sententiae Nithardi a partibus Caroli stantis esse nos haud poeniteat. Ac quamvis multa aliorum testimonia proferre possimus, uno erimus contenti quod ex eo ab assecla Lotharii dato facillime quam suspecta Lotharii fides fuerit conjici potest. Legimus apud Paschasium Radpertum in Vita Adelardi c. V: „Quantus sit Adelardus plurimum produnt opera promissionis impleta et testantur litterae quae de hac, quae inter homines tenenda est fides Lothario imperatori nuper direxit, inter reliqua ita dicens: Quid putas, inquit, o princeps, si fides saepe inter paganos tantum valuit ut quisque se committeret, et alterius fidei sacramentis, quantum valere debeat foedus christiani

---

[1]) Scilicet usque ad 8 Idus Maji anni 841.

[2]) cf. Böhmer Regest. Lotharii Nro. 506 et 507.

in veritate promissum. Non te decipiat, aliquis obsecro, imperator, quia fides cum contra aliquem violatur non homo sed Deus testis et certus in eo contemnitur." — Quae verba quantam vim ad fidem Lotharii judicandam habent, facile intelligas. Neque vero id praetermittendum est, quod Nithardi narratio ubique minus cupiditatis ac studii habet quam pro tanta Lotharii nequitia exspectare possis. Ceterum, ut jam supra commemoravimus, ab aliis fontibus satis adumbratur, quomodo Ludowicus Germanicus et Carolus Calvus pacis impetrandae periculum saepius agendo fecerint, sed omnia a Lothario spreta fuerint.

Dolendum est, quod de concilio episcoporum Aquis anno ineunte 842 habito nihil alibi memoriae proditum est. Nithardi notitiam (cf. l. IV. c. I.): „quorum scilicet episcoporum) aderat maxima pars" a veritate certe non abhorere putes cum jam satis compertum habeamus, clericos magna ex parte post pugnam apud Fontanetum comissam cum rem Dei judicio diremtam esse crederent a Lothario ad fratres defecisse. Neque minus quae de Lothario ab episcopis dicta et constituta legimus in dubium vocari possunt si quidem animorum propensionem ad vilem proditionem satis nobiscum reputaverimus.

Quae c. IV. l. III. de Carolo et Ludowico commemorantur adulationem minime olent. Nithardus enim talem se nunquam praebet; sed potius est intelligendum quanto gaudio consobrinus isque natu major affectns sit quod de fratrum praeclara indole optime sperare posset. Ceterum quae tradidit ceteris scriptoribus probantur. Agobardus [1]) fratres elegantissimos filios imperatores dicit. Hincmarus in praefatione libri de cavendis vitiis de Carolo haec refert: Quem (Carolum) Deus talento intellectus magnifice et potenter ditavit. Eodem modo Adrianus papa [2]) Carolum regem sa-

[1]) Liber apologeticus pag. 372.
[2]) Sirmondi Concilia Galliae T. III. p. 402.

pientia praecellentem appellat. De Ludowico vero Walafridus Strabo [1]) cantat:

„Inde tuos laeti dulcissime vultus
Contemplamur, adest tibimet par gratia pacis
Par morum probitas —“

Regino Prumensis sub ann. 876 refert: Ludowicus non solum secularibus verum etiam ecclesiasticis disciplinis sufficienter instructus [2]). —

Restat, ut paulo diligentius ea persecrutemur quae Noster c. VI. l. IV. de Adalberto comite et de causis tradit, cur Carolus rex matrimonium cum Hirmentrude nepte illius incerit. Magni enim sunt momenti ut statum reipublicae, peritiam ac libertatem Nithardi in rebus publicis judicandis, necessitudinem, qua tunc temporis cum Carolo uteretur, recte cognoscere possimus. Nithardi verba referam necesse est: „Accepit quidem Karolus in conjugio Hirmentrudem — neptem Adelardi. Dilexerat autem pater ejus suo in tempore hunc Adelardum adeo ut quot idem vellet, in universo imperio hoc pater faceret; qui utilitati publicae minus prospiciens placere cuique intendit. Hinc libertates, hinc publica in propriis usibus distribuere suasit ac dum quod quique petebat ut fieret, effecit rem publicam penitus annullavit. Quo quidem modo effectum est, ut in hac tempestate populam, qua vellet, facile devertere posset; et hac de re Karolus praefatas nuptias maxime iniit quia cum eo maximam partem plebis sibi vindicare posse putavit.“ Sane auctor quem in universum verecundius reprehendere intelleximus tam libera lingua et in Adelardum et Carolum utitur, ut familiaritas qua eousque cum rege conjunctus erat et auctoritas qua multum apud eum valebat haud dubie diutius stare

[1]) Carmen ad Ludow. Biblioth. max. Patr. T. XV. p. 223.

[2]) cf. Monast. S. Gall.: Gesta Karoli Magni c. 11. acutissimus fretus ingenio. — Hrabanus Commentarius in Cant.; „tu autem sapientissime rex in omnibus bene eruditus,

non potuisse crederes. Videamus igitur quo jure Nithardus rationem utriusque tam vehementer improbaverit. Dolendnm est quod de Adelardo et quae Ludowico Pio vivo molitus fuerit praeter Nithardum nihil ab ullo alio memoriae traditum est. Tantum a Servato Lupo brevis ejus fit mentio tamen facile auctoritas qua uteretur intelligi potest. Lupus Hugoni hoc scribit. [1]) Cum mihi contigisset ut Dominus Rex Cellam coenobii nostri — Deo inspirante et amplissimo viro Adelardo cooperante nobis restituisset." — Porro in alia epistola [2]) de eadem re: „Vobis aperio, magnam Adelardum mihi promisisse quod nunc Cellam nobis recuperaturus esset et ne quis apud Regem nobis aliquid nocere posset in omnibus provisurus." Id quidem constat, Adelardum temporibus Ludowici imperatoris multum auctoritate valuisse. Et cum Nithardus libere dicat, eum „utilitati publicae minus prospicientem rem publicam penitus annullavisse: nemini dubium esse potest, Adelardum ex numero eorum qui, cum Ludowicus imperator ut filio factonum compararet, opes eorum quam maxime auxisset, [3]) republica seditionibus perturbata, tantopere in republica administranda sua potestate ad libidinem usi sunt ut gravissimae de iis querelae orirentur. Scimus enim ex relatione concilii Parisiis anno 829 habiti, [4]) quam superbe sese in subditos gesserint. Ludowico mortuo Adelardus [5]) apud Carolum summis muneribus functus est. Saepius a Nithardo commemoratur lib. II. c. 3. legationem ad Lotharium suscepit; lib. II. c. 10. Proelio Fontanetico interfuit et una cum Nithardo pugnam diremit; lib. III. c. 2. a Carolo ad Francos c. 3. ej. lib. ad Gislebertum legatus missus est. Denique lib. IV. c. 3. simul cum Conrado et Cobbone ad Lotharium missus, pacis conditiones transgressus a Nithardo verbis „ignoro qua fraude decepti" improbatur. Hoc loco nisi ambiguam Adelardi fidem suspicari possemus. Habebat enim etiam in iis partibus quae sub ditione Lotharii erant, possessiones, ex. g. abbatiam St. Maximini Trevis, [6]) itaque facile conjici potest, eum jam tum

---

[1]) Lupi epistolae ed. Balurius 88.

[2]) Idem. epistolae 92.

[3]) Theganus 19. „Ludowicus in tantum erat largus ut antea nec in antiquis libris nec in modernis temporibus auditum est, ut villas regias fidelibus suis tradidit.

[4]) Le Cointe VIII. 62.

[5]) In sua possessione erant abbatiae S. Quintii, S. Symphoriani (Autisiordorum) S. Vedasti. cf. Bouquet VIII. 565. 450. T. VII. p. 368.

[6]) Adelardus comes annis 838 et 853 abbas S. Maximini citatur. cf. Beyer mittelrhein. Urkund. I. 73. 89.

justo indulgentius cum Lothario egisse, a quo postea varia munera accepit et nomine „fidelicissimi comitis“ [1]) ornatus est. Manifestum vero est, Adelardum conjugio neptis cum rege inito opibus et auctoritate in dies magis crevisse iisque non ad regis sed ad suam potestatem augendam usurum fuisse. Nithardus igitur, haud immemor illius temporis, quo Caroli Magni imperatoris nutu ac potestate unius res publica administraretur, nobilium studia supprimerentur, summo cum dolore intellexit, opes nobilium ac clientium inter dissensiones civiles ita crescere, ut potestas regia magis magisque debilitaretur. Carolus rex XIX annos natus consilio viri, qui suis commodis magis quam reipublicae prospiceret, traditus in summum discrimen adducebatur. Itaque amore et patriae et consobrini commotus utriusque rationem merito improbatur. Tantum vero abest, ut odio in Adelardum incitatus specie salutis publicae inimicitias privatas texerit, ut praeclare et libertatis et patriae amoris exemplum prodidisse putandus sit.

Studiis enim illius ejusque factionis frustra obluctatus, ex magna gratia et favore in invidiam Caroli delapsus in coenobium Centulense sese contulit. Quam vere autem et prudenter de Adelardo praesenserit neminem fugere potest. Is enim semper novarum rerum studiosus, malis artibus dissensiones inter fratres commodi causa sustentavit, modo huic, modo illi sese dedit usque a Carolo omnibus honoribus privatus est. [1]) — At si quis de sinceritate Nostri dubitare velit intentius legat, quanto moerore (cf. c. 6. l. IV.) afflictas res publicas lugeat, quanta libertate et severitate rationem fratrum tamquam insanientium incuset! —

Sed his omnibus jam satis, ne dicam justo copiosius explicatis, id unum restat, ut summam nostrae quaestionis paucis complectamur. Nithardi fides, confitemur, prorsus sincera in quaque operis parte appellanda est. Nuspiam eum adversarios turpiter se dantes, justo iniquius lacessere, sed ubique sine ira et studio agere intelleximus. Exceptis nonnullis erroribus quos demonstravimus, Nostro ubi vis optimo historiae duce haud ullo dubio uti possumus. Primo quidem in libro quadam rerum inopia laborat ac multa ab aliis scriptoribus tradita omisit, tamen si rationem quam initurum in proemio ejusdem libri praefatur, respexeris, admiranda est sollertia, qua in rebus iisque proposito maxime aptis consentaneisque describendis usus est. Tanta autem est sua verecundia in-

---

[1]) cf. Ibid. 90. cf. Böhmer Regest. Loth. I.
[2]) Hincmari annal. sub a. 865. Pertz S. I.

dulgentiaque in moribus Lotharii dijudicandis ut, a Caroli partibus stantes. eum nimis clementer scripsisse profiteamur. Multum abest, quin Häussero testante, Ludowicum nigris coloribus dipinxerit; e contrario fratres c. 6. l. III. summis laudibus ornavit. Quin si in iis quae ad suam familiam pertinent quadam verecundia utitur, neutiquam accusari potest. Atque id eo minus auctori vitio vertendum est quod in ratione reipublicae dijudicanda fratrum consilia libere atque aperte reprehendit. Mirum imprimis quod nihil de Juditha uxore imperatoris atque ejus studiis memoriae prodidit. Id verisimiliter honesti maturique viri non esse duxit, ut sermones improbi ac calumnias, quibus imperatrix criminarentur, repeteret. Unum vero est, quod merito Nithardo vitio verti potest. Nusquam de rapinis et populationibus agrorum, quae ab exercitu Ludowici Carolique factae sunt [1]) quidquam commemorat. Quod si Nostrum ob eam rem purgare velimus, respiciendum est, quam continenter ac verecunde de Lotharii facinoribus judicet, quam sollerter episcopos et Emmenonem [2]) de rapinis illius conquerentes introducat. Neque vero nos fugit, initium devastationum a Lothario factum fuisse fratres deinde ultionis causa in agro Ripuariorum idem fecisse. Quod si Nostri vitium non tollit tamen paulatim levat. Ratio scribendi non omnibus modis accurata dici potest: saepe nimis obscura et brevis est. Multum vitiis grammaticis laborat, de quibus severius judicare, uno tantum codice superstite non possumus, cum magna quoque ex parte iis, quae libellum transscripserunt, tribui possint. Maximi vero habenda est simplicitas, gravitas, pietas, quae ubique praelucent. Superstitione sui aevi obstrictus Nithardus phaenomena, morbos, famen, acerbitatem hiemis pro poenis Dei irascentis habet; ruinam imperii, quod Carolo Magno regnante potestate et opibus floreret, contemplatus, fratrum malignitate atque imprudentia ad gravissimas querelas fertur. Tanta autem honestate est ut illa in summam animorum pravitatem inclinata aetate tanquam homo sublimis appareat. Quoddam igitur suo jure Nithardum alterum Tacitum nonnulli appellavere; nos vero eum virum honestate, veritate, libertate, animi magnitudine singularem atque summis laudibus dignum cognovimus.

---

[1]) cf. Annal. Xantens. s. a. 842. Praefati reges vastata omni regione Ripuariorum.

[2]) cf. Nithard.

VITA.

'hristianus Carolus Paetz, Hakenstadiensis natus sum e VII. m. Octobr. MDCCCXXX patre Christiano Paetz, atre Dorothea e gente Grube; quos parentos praemara morte mihi ereptos esse etiam nunc admodum lugeo. idei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis ıbutus in schola patria inde ab anno MDCCCIL seminarii alberstadiensis sodales fui. Triennio absoluto variis in miliis munere praeceptoris functus sum. Jam tum desiderio ɔeralium artium incitatus, totum me literis linguisque edis-ɜndis dedidi sperans fore ut examine maturitatis superato vibus academicis adscriberer. Sed multis difficultatibus mihi ɔstantibus cum et inopia et morbo laborarem propositum ıud facile consecutus sum. Redux ex Russia, ubi munere raeceptoris functus eram, maturitatis testimonio a gymnasio oachimico Berolinensi instructus tandem anno MDCCCLXI omen dedi in philosophorum ordinis universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis album apud Decanum spectat. Braun, ıudiis inprimis historicis operam navaturus, ibique scholis ıterfui per quadriennium V. V. D. D. Boeckh, Haupt, 'rendelenburg, Droysen, Ranke, Mommsen, Muelenhof, Köpke, Weber, Steinthal, Homeyer, Altaus, Lepsius. Sodalis societatis historicae vv. ill. Droyen, Ranke, Köpke fui, exercitationibus philosophicis, v. ll. Trendelenburg moderante operam dedi. Quibus viris ɔmnibus de me meritis gratias et nunc ago quam maximas ɜt semper me habiturum esse profiteor.

THESES.

I. Mommsenii de Ciceronis indole opinioni non assentior.

II. Nithardus nihil ab Anonymo descripsit, sed hic potius ab illo mutuatus est.

III. Aristotelem non recte dixisse: Ὅτι μὲν τοίνυν εἰσὶ φύσει τινὲς οἱ μὲν ἐλεύθεροι, οἱ δὲ δοῦλοι φανερόν, οἷς καὶ συμφέρει τὸ δουλεύειν καὶ δίκαιόν ἐστι. (Polit. L. I. c. II.)

IV. Cyrum Persarum regem non contra Massagetas pugnantem cecidisse contendo.

V. Narrationem de Eginhardi conjunctione cum Emma Caroli Magni filia inita fictam et confusione conjugii Angilberti cum Berta ortam esse censeo.

VI. Historiae Monachi S. Gallensis quae de Gestis Caroli Magni dicitur non prorsus fidem esse habendam.

TYPIS FERDINANDI ZSCHIESCHII BEROLINI.

DC
70
.A2
N6
ALV-0134
Paer

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 6, CANADA.
·5714